DE
S. JULIANA FALCONERIA
VIRGINE FLORENTINA
Tertii Ordinis Servorum B. M. V. Fundatrice

ORATIO

Romæ habita in Templo S. Marcelli xiii. Kal. Julias Anno 1738.

AD EMINENTISSIMOS, AC REVERENDISSIMOS

S. R. E. CARDINALES

A

F. CALLISTO MARIA PALOMBELLA

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO,

Ordinis Servorum ejusdem B. M. V. Procuratore Generali, nec non S. Rituum Congregationis Consultore.




ROMÆ, MDCCXXXVIII.
Ex Typographia Komarek in Platea Sciarræ in Viâ Cursûs.

SUPERIORUM FACULTATE.

AD LECTOREM.



Ujus Orationis, vel potiùs Sermonis Author, quamquam à pluribus nec ultimi quidem subsellii Viris interpellatus, ad illius editionem permittendam nullâ unquam ratione suaderi potuit. Cum enim ei à nonnullis objicieretur summa illa benignitas, quâ à plerisque magnæ etiam notæ Auditoribus excepta fuerat; se probè nosse reponebat, illa itidem, quæ propter latentem quamdam vivæ vocis energiam aures quandoque mulcere solent, non rarò animos irritare, dum oculis fidelibus subjiciuntur. Addebant alii typis mandandam Orationem, quâ fidelium religio, atque pietas in Sanctam JULIANAM facilè accenderetur, cui corporis, animique salutem debere Author ipse profitebatur. Verùm tepefieri potiùs, quàm accendi pietatem ipse metuebat eâ dicendi inconcinnitate, quâ tantæ Virginis virtutes haud ornari quidem, sed obscurari penitùs arbitraretur. Alii tandem urgebant, latam hinc, regiamque sibi opportunè viam adaperiri, ut qualecumque obsequentissimi, gratique animi monumentum CLEMENTI XII. Pontifici Optimo, Sanctissimoque exhiberet, cui nedum MARIÆ Servorum Ordo Universus, sed ipse in primis Author innumeris fermè titulis obstringebatur. Nec eum sanè latere, PHILIPPUM Benitium a S. M. Clemente X. *Sanctorum fastis adscriptum; JULIANAM verò ipsam a Ven. Servo Dei* Innocentio XI. *inter Beatas Christi Virgines adnumeratam,* Nereo *Seniore S. R. E. Cardinali Corsino ejusdem Ordinis Protectore Vigilantissimo utramque causam enixiùs urgente. LAURENTIUM deindè, ut Magni* Nerei *Nepotem Maximum, ita ejus amoris hæredem, ALEXII non modò Falconerii, aliorumque sex Beatorum ejusdem Instituti Patriarcharum Cultum procurasse, atque solemnem Peregrini Forolíviensis Canonizationem obtinuisse; verùmetiam in Urbis, & Orbis felicitatem ad Petri Solium divinitùs evectum,* Nereo *Juniore, hæreditario quodam Avitæ Pietatis impulsu, MARIÆ Servorum gloriam in dies promovente, JULIANÆ Falconeriæ Apotheôsin celebrasse, eamque proprio etiam Officii, & Missæ Ritu Universæ per Orbem Ecclesiæ colendam præcepisse: ita ut hæc omnia, & alia benè multa, quæ hujus loci non sunt, seriò perpendenti Marianæ*

præsertim Religionis bono, ac decori Nobilissima Corsinorum Progenies, Immortalis Dei beneficio, nata fuisse, jure meritoque videri posset. Sed nec ista quidem Authorem vicerunt existimantem injuriam potiùs tanto Principi se irrogaturum, si vel Ejus, vel Suorum Nomine præclarissimo inculta superbiret Oratio, quæ sempiternis quinimmò tenebris involvi mereretur; se quidem Pontificiæ Illius Clementiæ post Deum omnia debere; satius tamen sibi esse morem illius Gentis imitari, quæ labiis digito obstructis solem venerabatur, quàm pauca, & inconcinna vel in Ejus laudem, vel in gratiarum actionem effutire. Quoniam ergo nihil potuit ratione impetrari, Suprema tandem auctoritate pugnandum fuit, quâ solâ compulsus Author volens nolens cessit authographum Orationis, *quæ nunc in publicam prodit lucem. Hanc si, candide Lector, bono excipias animo, tuæ benevolentiæ adscribendum erit; si verò despicias, in ipsius Authoris sententiam descendes. Vale.*

ORATIO



ORATIO.



ULIANAM FALCONERIAM, EE. ac RR. Patres, quæ ut ad Nuptiale mystici Sponsi Convivium admitteretur, lampadem Fidei Sanctis ornatam operibus oleo Charitatis continenter instructam, accensamque servaverat, inter Prudentes hodierni Evangelii Virgines recensendam esse, ut vestro nuper calculo, ita nunc Præsentiâ vestrâ comprobatis. Quâ enim die Nicæni Antistites ad naturalem Verbi Divini cum Patre Unitatem declarandam convenère, hâc eâdem Vos, EE. Ecclesiæ Principes, unanimi Religionis ardore coactos video ad beatissimam illam, atque individuam FALCONERIÆ Virginis cum Verbo Sponso unionem concelebrandam, quam ipsa Virginitatis dote, Prudentiâ pronubâ, perfectione Charitatis hodiernâ pariter luce promerita sibi est.

Matth. c. 25. Carthus. in idẽ cap. aliiq; Interp.

V. 13. Kal. Jul. Baron. ad an. 325. n. 9. Lab. Conc. to. 2.

Atque utinam sacræ hujus Sponsæ Epithalamium eo grandiloquentiæ nitore concinnare mihi datum esset, qui & eximiæ illius Sanctitati responderet, & Senatûs Vestri Majestati.

At si cuncta Corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes artus humanâ Voce resonarent, nihil dignum solâ ipsâ Julianæ Virginitate dicerem, cujus ne ortus quidem, & infantia vacua laudis est. Eo namque tempore in lucem Florentiæ prodiit, quo steriles, & confectâ jam ætate Parentes Sacram Basylicam in Deiparæ ab Angelo Salutatæ honorem pari magnificentiâ, & pietate moliebantur; ut nimirùm ipsâ nascendi conditione intelligeret, quandam sibi veluti filialem Virginis Ancillæ Imaginem exprimendam fore.

S. Hier. ep. 27. in Paulam.

Et re quidem ipsâ infantiles ſponte ſuâ manus junctim attollens, non Patrem, non Matrem dulcia naturæ nomina; ſed Jeſum, ſed Mariam ſuaviſſima gratiæ vocabula lactentibus adhuc labellis ante omnia proferre audita eſt: Ac ſi jam inde Genitoribus, & Sponſo renuntiaret in terris, quæ Matrem, & Sponſum in Cœlis jam inveniſſet.

Quoniam verò Matrem Simeonis gladio transfixam, Sponſum ſpinis coronatum adverterat, ipſam quoque cerneres Julianam, puritatis imitandæ ſtudio, compeſcendæque vanitatis, ſicut lilium inter ſpinas adoleſcere; inſertiſque ſub crinium ornamento acicularum aculeis tenellum Caput ingenioſè compungere; atque fœdus pangere ſempiternum cum oculis ſuis, ut nec de facie hominis, nec de muliebri quidem ſpeculo unquam inſpiciendo cogitaret; quòd Speculum ſine maculâ in mentis oculis indeſinenter haberet. Cumque jam tùm probè noſſet, Orationem Virginitatis Sigillum eſſe, Pudicitiæ præſidium, atque tutamen, inter conſulares Atavorum, Patriſque faſces, atque divitias, unius Cellulæ clauſa anguſtiis, latitudine Paradiſi fruebatur: itaut Beatus Alexius ſecundùm carnem Julianæ Patruus, ſpiritu Parens puriſſimam Virginis mentem admiratus, ejus Matri dicere non dubitaverit, ipſam non Puellam, ſed Angelum peperiſſe.

Cant. 2. 2.

Job. 31. 1.

S.Greg. Nyſſ. de orat.

Hier. Epiſt. in Aſellam.

Hæc, PP. EE., puerilia noſtræ Julianæ crepundia fuere, quibus ceu tyrociniis ampliſſimo certamini ejus adulta Virginitas pararetur. In eam ſiquidem vix pubeſcentem quaſi conjuratione quadam armatur integra Conſanguineorum Corona, ut ad præclariſſimas nuptias vel invitam raperent, vel reluctantem. Quanto terrore egit Mater, ut timeretur, quantis blanditiis, ut Filiæ ſuaderet Paterni præſidium germinis, quod in eâ ſolâ acquieſcens, per eam unicè reparandum ſperabatur? Torquebantur Julianæ viſcera non timore, ſed virtute, non amore ſervandæ ſtirpis, ſed materni doloris pietate, cumque Virginali propoſito pugnabat obedientia filialis.

Nihil tamen obtines, nihil proficis lilio Virginali ſemper infeſta callidi Serpentis aſtutia, & Julianâ ad Chriſtum, atque Deiparæ fundente lacrymas, tu deficis inſidiis tuis. Superari pietas in Virginem Matrem terrenæ Genitricis amore, & auctoritate non potuit; non potuit Divini Sponſi deſiderium, aut ſpe filiorum, aut carnalium nuptiarum illecebris vel minimùm hebetari. Vicit Juliana ſexum, vicit puritatis hoſtem; & quod victoriæ cumulo acceſſit, eoſdem Conſanguineos, ipſamq; Matrem in ſui propoſiti ſententiam pertraxit. Aureo deinde propriis manibus detonſo capillamento, pereat, inquit, in ſervatæ Virginitatis trophœum, pereat forma

Cor-

Corporis, quod amari potest oculis, quibus nolo; & læta pro Voto, festina præ gaudio, religiosa pro officio ad Annuntiatæ Virginis Aram, ad pudicitiæ scilicet Asylum accurrit: ibique flexis coram Benitio genibus, profusisque lacrymis, pullatâ Dolorosæ Matris veste, Christique Flammeo jure, meritòque obnubitur, quòd Cælesti Sponso carnem, & sanguinem tam egregio facinore posthabuisset. S. Ambr. de Virg. lib. 1.

Attollat modò infernis emissus latebris Coluber perfidiæ Caput, & serpentinis evomat venena pectoribus, ut oppigneratam Christo fidem temeret professa Virgo. Promat ex Averni Specu, objiciatque Julianæ nedùm menti, sed sensibus blandulos lusus lallantium filiorum, Nuptarum delicias, Seculi oblectamenta, Imagines denique turpitudinum obscœniores. Addat verbera blandimentis, & funestissima spectra, cunctaque in eam Diaboli tormenta convertat. Quid propterea? Nullum ab ea vel impuritatis indicium, vel impatientiæ signum, vel, quod magis mirere, ociosum deliberatè verbum extorquere unquam poterit. Augebit quinimmò gloriam, dum aggerat pœnam, & Virginitatis lilio Martyrii quoque palmam sociabit. Idem lib. 2. in cap. 2. Luc.

Nonnè porrò longum Martyrii genus est, nudipedem semper incedere; quartâ, & sextâ feriâ omni prorsùs abstinere cibo; singulis autem quibusque Sabbathis modicum panis frustum, & puram, ut quotidie solebat, aquam excipere; reliquis verò diebus jejunium pro ludo habere, inediam pro refectione, vel eâ vilium ciborum parsimoniâ vesci, quæ famem non depelleret, sed irritaret? Hier. in Asel.

Nonnè longum Martyrii genus est, idem terræ solum, & Orationis locum, & quietis habere; Crura, & brachia nodosis funiculis, Virgineos lumbos aculeatâ, ferreâque zonâ æternùm perstringere; totum denique Corpus quotidianis, dirisque adeò flagellationibus cruentare, ut penè exanimis quandoque deficere videretur? Ibidem.

Tanti, Auditores, & eo amplius Julianæ constitit contra Sathanæ insidias intemeratæ Virginitatis custodia, ut meritò cum Tertulliano, & Ambrosio repetere valeamus: Majus esse in castitate vivere, quàm pro ea mori: nec ideò laudabilem Virginitatem, quia in martyribus reperitur, sed quia ipsa martyres faciat. Tertul. Exhort. ad Cast. S. Amb. lib. 1. de Virg.

Confundatur hìc prudentia carnis quantùm amica sibi, tantùm inimica Deo, & ad Julianæ prudentiam erubescat, dum audit nobilissimam Virginem, delicatamque, carnem crucifixisse cum vitiis, & concupiscentiis suis, nec nisi per Crucis scalam ad Sponsi thalamum ascendisse. Hæc nimirum prudentia sanctorum est, cujus lumine ubertim perfusa, virginitatis candorem nedum martyrii laurea, sed & munere decoravit fœcunditatis. Ad Rom. 8. 17. Ad Gal. 5. 24.

Mon-

Monstrum dixisse videar;sed iis tantùm,qui nesciant ipsam virginitatem prudentiæ sociatam parere didicisse,postquàm Virgo Mater gignere Christum potuit, eamque sibi Christus Sponsam elegit Ecclesiam,cui nec Virginitas fœcunditatem,nec fœcunditas adimeret virginitatem. Evangelicis itaque virginibus Juliana prudentior, ut castimoniæ simul honorem, & gaudia matris haberet, oleum suæ virtutis, & meriti, quod virgines illæ quinque fatuis denegarunt, cum innumeris propemodùm liberalissimè communicavit. Mirentur viri, non desperent paruuli, stupeant nuptæ, imitentur innuptæ. Quintum enim decimum vix ætatis annum egressa, propriâ quidem renitente humilitate, sed Sanctorum Philippi, & Alexii urgente præcepto, Tertium Mariæ Servorum Ordinem instituere cœpit, Prudentiæ Magisterium adimplens, quæ præjudicium vehebat ætatis.

Matth. c. 25.

Amb. de Virg. lib. 1.

Cum autem hujus virtutis officium sit,terrenis divina præferre, & ordinem rebus, modumque imponere, Domi primùm suæ Marianæ Servitutis fundamenta jecit: neque enim Albitio tantùm Consobrino suo, ut primo Mariæ Servorum Instituto nomen daret, felicissimè persuasit;sed Biliam quoque, Guiducciam, atque Franciscam è Falconeriâ paritèr Gente illustres, opulentasque Matronas, ac denique Matrem ipsam, quæ Julianam carne pepererat mundo, in Mariæ famulatum adoptatas lumine prudentiæ suæ peperit Christo. Integrâ tandem Parentum, pluriumque Cognatorum substantiâ in Christi Pauperes, & Ancillas dispersâ, vel Familiam totam Religiosam fecit, vel totam Religioni mancipatam.

Prudentissimæ tamen Virgini domestica tantummodò spolia, splendida quamvis, & opima, Cælesti Sponso minùs digna videbantur, nisi *facta quasi Navis Institoris de longè portans panem suum*, Alienigenas etiam in Thalamum Divini Salomonis adduceret.

Prov. 31. 10.

Obsistet equidem ejus prudentiæ conatibus illorum perversitas temporum. Madet enim Civico Florentia sanguine, & homicidium, cum admittunt singuli, crimen est; Virtus vocatur cum publicè geritur. Inter leges ipsas delinquitur, inter jura peccatur; nec illic, ubi defenditur, reservatur innocentia. Flagrant ubique delicta, & passim multiformi genere peccandi per improbas mentes nocens virus operatur. Consensère jura peccatis, & cœpit licitum esse, quod publicum est: adeò humanæ, divinæque res acerbissimarum rabie factionum susdeque vertuntur. Verùm, quis credat? ad ùnius Julianæ vocem, & exemplum tota Urbis facies repentè mutata est. Cives in mutuam perniciem,mutuumque vulnus armati, abiectis armis,ad pacifica consilia convertuntur. Devoventur igno-

Ex S. Cypr. Ep. 1.

to

to Pudicitiæ Deo ipsæ victimæ libidinum publicarum Matronarum, ac Virginum nobilissimæ, seculi pompis, mundique vanitate despectâ, ad sacrum Julianæ Gynecæum certatim accurrunt, Institutum illius, & sanctitatem imitaturæ.

Discretionis etenim, & Prophetiæ Spiritu afflata, talia morum præcepta condidit, talem ipsa vitæ rationem instituit, ut quemadmodum Virgines ex Cælesti odore dignoscebat, ita plerasque in suarum virtutum odoramenta pertraheret. Nihil illius severitate jucundiùs, nihil jucunditate severius; nihil suavitate tristius, nihil tristitiâ suavius. Ita pallor in facie erat, ut cum continentiam indicaret, non redoleret ostentationem. Ita Magistræ authoritate dominabatur, ut cum esset omnium Mater, omnium Ancilla videretur. Nam & honore Subditas prævenire, & fune ad collum alligato, flexoque poplite illarum consortium efflagitare, & vilioribus quibusque muniis se totam demittere, & omnem denique implere justitiam tam solemne habuit, ut non eam prudentem esse, non humilem, sed prudentiæ, humilitatis, & probitatis imaginem facilè credidisses. Hier. in Asel.

Quid ergo miremur, tanto vitutum omnium, & doctrinæ temperamento Julianam promeruisse, ut quot fermè discipulas erudiret, tot Sanctissimas Christo Sponsas dedicaret? Prætereo ingentem illarum numerum, quas vel per se ipsam, vel per filias deinde suas adhuc coelo germinare non cessat; ne, PP.EE., longiùs abutar patientiâ vestrâ. Benitiam tamen, Soderinam, Palmeriam, Uguccionias, & Joannam Corsinam quò sanctiores, eò chariores Julianæ Alumnas nominare saltem liceat: quo nempè arcano divinæ sapientiæ consilio factum fuisse constet, ut post quatuor seculorum vota Julianæ Apotheòsis ad hæc usque tempora celebranda reservaretur, quibus CLEMENS XII. Pontifex verè Optimus, Maximusque, patrio cœlo, virtute, ejusdemque Religionis amore nostræ Virgini conjunctissimus, inter prudentes Agni sponsas eam recenseret, quæ ex praclarissimo Corsino Stemmate Joannam Virginem, aliasque Affines Sponso cælesti consecraverat.

Consecraverat utique; & modum sanè prudentia docuit, sed charitas imperavit. Charitas, inquam, illa, qua sicut omnia pro Christo contemsit, sic omnia ad Christum pertrahere conata est. Charitas imperavit, imò etiam effecit, ut in pauperibus, ægrotisque Dominum ipsum tam impensè veneraretur, ut illorum etiam ulcera & deosculando lamberet, & lambendo mirabiliter sanaret. Charitas effecit, ut cum dilectum suum semper alloqui, dilecto tenaciùs uniri, totaque in dilectum absorberi, transformarique percuperet, ad quatuor supra viginti horarum spatium orationem non rarò protraheret, & eleva-

to sæpissimè corpore in diuturnas ecstases raperetur. Charitas effecit ..... Sed quid non effecit, quid non perfecit in eâ charitas? cujus tam immenso in Deum æstuabat ardore, ut non solùm quidquid illius Imaginem lędere utcumque posset, diligentissimè ipse præcaveret, in aliis verò, & perpetuo lacrymarum imbre, & proprii sanguinis effusione delere niteretur: sed, quod superat omnem fidem, audito solùm peccati vocabulo, tota & animo, & corpore contremisceret? quin etiam aliquando cujusdam sceleris narratione perculsa, ac si tacta de cœlo fuisset, exanguis propè, ac semimortua provoluta humi est. Quemadmodum enim propter arctissimum illud animum inter & corpus naturæ vinculum, ad corporis vulnera languescit animus, & *spiritus*
Prov. 17. 22. *tristis exiccat ossa*; haud secùs amantissima virgo unus cum Deo spiritus per charitatem effecta, vix auditâ Sponsi cælestis offensâ adeò concutiebatur, ut, cum eo in Gethsemani tabescens appositè conqueri potuisset: *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus*
Psal. 118. 53. *legem tuam*.

An verò in Hortum dumtaxat? immò & in Crucem cum Christo ascendere concupiscens, importunis, fermè dixerim, obsecrationibus, à Martyrum Reginâ impetravit, ut quos in Cruce filius, Mater sub Cruce dolores perpessa fuerat, ipsa quoque magnæ Dominæ Ancilla in corde pateretur.

Oh charitatis immensitatem! Oh charitatem Virginis dolorosæ spiritu verè dignissimam! Dilectum Sponsum non in Thabòris nube gloriosum, sed in Golgatha spectare morientem; ejusque acerbissimum
Cant. 1. 12. doloris sensum veluti fasciculum myrrhæ inter cordis ubera tam studiosè confovere, ut quasi rapinam sibi metuens, exclamare frequentissimè consuesceret: *Nemo rapiat à me amorem meum Crucifixum.* Quasi dicere voluisset: Rapiat à me quicumque velit, divini amoris dulcedinem, saporem, suavitatem. Hæc non contemno quidem, sed neque sitio: sitio pœnas, sitio dolores, amorem ipsum sitio, sed Cruci-
Bern. in Cant. serm. 83. fixum. Is perse sufficit, is per se placet, & propter se. Ipse meritum, ipse sibi prœmium est amor. Dilectum sanè cupio candidum, & rubi-
Cant. 5. 10. cundum, sed candidum in Patria, rubicundum in via; candidum in Patris desterâ, rubicundum in sinu Matris, nec tàm sanguine suo, quàm doloribus meis rubicundum: Nemo itaque, nemo rapiat à me amorem meum Crucifixum.

Cant. 8. 6. Ecquis enim verò rapere ab eâ unquam possit, cujus dilectio fortior morte fuit, & Inferno durior æmulatio? Cum enim die quadam vehementioribus contra datam Christo sponsionem Dœmonis tentationibus urgeretur: *Domine*, inquit, *crudelis hujus Adversarii sitim exple; exple, inquam, mi Jesu, meque in Inferum deiicias: si enim ibi cruciabor, offensam saltem tibi non irrogavero.*

In-

Inſanire fortaſſe nonnemini Juliana videbitur, dum impoſſibilia petit, Dei ſcilicèt amantem ad Inferna detrudi, & charitate ſervatâ cum reprobis æternùm cruciari. Et inſanit profectò, fateor; ſed Bernardo teſte, ſapientiſſima hæc perfectæ charitatis inſania eſt, in Moyſe, & Paulo à Patribus celebrata. Juliana ſiquidem ſuperno quodam exceſſu divini amoris abrepta, & gehennæ pœnas longè minùs, quàm formidatam Sponſi cœleſtis injuriam exhorrens, ut oſtendat, malle ſe Sponſi deliciis perpetuò carere, quàm vel per momentum ab ejus gratiâ deficere, ac poſſibile magis eſſe charitatis flammam cum ardoribus habitare ſempiternis, quàm ſe à Chriſti charitate ſeparari; nedum incredibilia, verùm etiam impoſſibilia tentare ſe velle geſtit; & ſi dari poſſet occaſio, amorem ſuum etiam impoſſibilium futurum fuiſſe victorem.

Ber. ſer. 73. in Cant & alibi. Guillel. de nat. & dignit. am. cap. 3. V. Chryſoſt. hom. 16. & 17. in Rom. & hom. 4. in Phil. Auguſt. q. in Exod. c. 147. & ſerm. 88. de verbis Evang. & alios.

Omnia quippe aut vincit, aut vincere ſe poſſe putat noſtræ Virginis amor, qui Deum ita ſibi devinxit omnipotentem, ut omnium miraculorum maximo novum adderet, inauditumque miraculum. Ad extremum namque redacta ſpiritum, Euchariſtico recreari Pane ardentiſſimè concupiſcit. Verùm ob indignantis ſtomachi vitium voti compos minimè facta eſt. Oſculari ſaltem petit, quo paſci jam non liceret. Sed repellitur ob Sacramenti reverentiam.

Quid faceret immenſa charitas repulſam paſſa, Sponſique Viatico deſtituta? Lacrymatur, dolet, angitur, æſtuat, jamjamque deficit deſolatiſſima Virgo; itaut ad placandam quoquomodo æſtuantis amoris vehementiam, Virgineo pectori ſacram Hoſtiam admovere neceſſe fuerit. O rem planè mirabilem, & omnibus retro ſeculis inauditam! Hoſtia vix admota diſparens, Cor Virginis miro compendio penetravit; ac trigeminæ quodammodo gratiæ munia diſtribuens, Cordi Julianæ Dominicum corpus, ejus lateri & formam panis, & Crucifixi amoris effigiem impreſſam reliquit; ut videlicèt ſenſibile Sacramentum, ipſamque Sacramenti rem inſenſibilem, quam in ore, & corde ſemper habuerat, in puriſſimo quoque ſuæ carnis ſacrario novo ſanè prodigio viſibiliter circumferret. Eodem verò temporis momento Falconeria, ſqualido vultu in Angelicam ſpeciem commutato, *innixa ſuper dilectum ſuum*, eumque jucundiſſimè compellans *Dulcis mi Jeſu* .... O verè pretioſam, beatamque mortem, immò digniſſimum tantâ Virgine triumphum, quæ Chriſto Virginitate placens, Prudentiâ nubens, conſummata Charitate, nec annulo tantùm fidei, ſed ipsâ vivâ Sponſi Imagine ſubarrhata, inter ſacratiſſima Euchariſtiæ convivia, ad Nuptialem immortalis gloriæ Thalamum, ac ſi in extaſim raperetur, feliciſſimè convolavit.

Cant. 8. 5.

Eja itaque prudentiſſima Virgo, de beatiſſimo illo, quo fueris

ris

ris tuæ charitatis centro, respice benigna Sanctissimum Pontificem Nostrum, qui, cum propriæ salutis, adeoque totius Orbis periculum tuæ glorificationi litaverit, Annos illi, quæso, adaugeas de nostris annis; & cui solemnem debes in Ecclesia cultum, omnium per Te Nationum Colla Apostolico illius Throno subiiciantur. Respice etiam amplissimum hunc, Purpuratumque Patrum Senatum, ut, qui tuam moribus Puritatem, Prudentiam legibus, opere, & veritate Charitatem imitantur, & colunt, ita quoque eas per te exprimere nunquam desistant. Universam denique militantem Ecclesiam clementer aspicias: & quæ bella tuæ Patriæ plusquàm civilia compescuisti, totque miraculorum gloriâ coruscasti, utere jam potentiâ tuâ, & furentia Turcarum Arma in eorum damna converte, ut Crucis Vexillum, quo divinitùs obsignari meruisti, Africa iterum tota, totaque Asia tandem aliquando veneretur.



DE ROMANA SANCTI PETRI PRINCIPIS APOSTOLORUM CATHEDRA

ORATIO

HABITA

IN BASILICA VATICANA

XV. Kal. Februarias MDCCLXXI.

A

PETRO PAULO LAZARINI Presbytero Romano
S. T. D. & Theologicæ Academiæ Socio.





ROMÆ

TYPIS BERNABO', ET LAZARINI.
PRAESIDUM FACULTATE.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XIV.

PONT. MAX.

PETRUS PAULUS LAZARINI

FELICITATEM.



O N *tam conſuetudini pareo*, *quam officium perſolvo*, Pater Beatissime, *quum hanc Orationem, quae proprio quodam jure tua eſſe debuit, tuo nomini conſecro. Cur enim aut tibi non referam, aut tuum non dicam quod ad eam Chriſtianae Reipublicae Unitatem ornandam pertinet, quam adeo & amas, & colis, ut ſi-*

cut plurimis virtute, dignitate omnibus excellis, ita hujus ſanctiſſimi foederis ſtudio, & loci honorem, & caeterarum virtutum gloriam ſuperaſſe quodammodo videaris? Multa quidem ſunt, atque praeclara, quae quum oculos noſtros in te conjicimus in ſubitam quamdam admirationem traducunt; ſed ut ad iſtam conſociationis, & paucis conſervandae ſolicitudinem cogitationem referimus, non dubitamus, quin caetera copiae ſint, atque adjumenta, quibus te Deus Optimus Maximus exornatum voluit, ut ad Unitatis cuſtodiam inſtructior accederes. Quum igitur tantum poſſis praeſidio virtutis tuae, & pacis amore tantum velis, jam experimento comperimus in negotio pacis adminiſtrando nihil adeo eſſe difficile, quod & iſta tam egregia voluntate ſuſcipi, & tantis virtutum opibus confici non poſſit. Sed ut eo revertar, unde me idem Unitatis ardor, & quaſi aeſtus abripuit, tua eſt haec Oratio, qua illud in Sede Petri dignitatis ornamentum laudavi, cujus amor inter eximias dotes tuas principem locum tenet. Unum eſt, quod &

meum

meum nollem, & tuum esse certe non debet, impolitum scilicet dicendi genus quod nec Petri laudibus celebrandis idoneum fuit, nec tanti Pontificis sapientiae dare ipsum se in conspectum decet. Qua tamen es humanitate PATER BEATISSIME *non quid praestiterim, sed quid optarim reputabis, & caussae dignitate contentus aequiori animo feres quod oratoris inscitia peccatum est. Laus erit Clementiae tuae si Apostolica me Benedictione catholicae Unitati & Origini ejus arctius conjunges.*





ORATIO.



REVOCEMUS nos PATER BEATISSIME, ad originem felicitatis noſtrae, & quoniam quidquid in nobis ſanctum eſt, totum de Eccleſiae unitate percepimus, unitatem ipſam repetamus. Egit haec in Cathedra Petri radices ſuas, inde & in Apoſtolorum Principem ornamenta adeo praeclara, & in nos tanta cum pace bonorum copia dimanavit. Si unitatem diligimus, ſi unitatem quaerimus in iſtam Cathedram & oculos & mentem noſtram convertamus.

Sed ut paulo altius ordinar, atque ex ipſo fonte rei demonſtrandae initium repetam, unitas naturae bonum eſt, atque ita adhaeret ſingulis, ut recte a Boëtio (1) dictum putem = omne quod eſt tamdiu manere, atque

(1) *Lib. 3. de Conſ. Philoſ. proſ. 11.*

atque ſubſiſtere quamdiu ſit unum = Quapropter quum Deus Eccleſiam ſuam ſuper firmam petram forti, & inconcuſſa ſtabilitate fundatam ſupra rerum humanarum conditionem evexiſſet, quam perpetuam conſtituit unam effecit, & regnum ejus, quod finem non eſſet habiturum concordiae, & unitatis robore munivit. = Una eſt ergo columba Domini, & una perfecta ejus. (1) = Haec nupta jam Creatori ſuo cum ipſo dominatur a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum (2) Quam infinita ditionis amplitudo! quam ingens hominum copia! quam admirabilis morum varietas! Una eſt tamen columba Domini, & una perfecta ejus. = Quomodo ſolis multi radii, ajebat Cyprianus (3), ſed lumen unum, & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum, & quum de fonte uno rivi plurimi defluunt numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiae largitate, in origine tamen ſervatur Unitas = O ſanctam Unitatis Originem! O Petri praeſtabilem Cathedram! ex qua tam fulgida radiorum copia, tam invicta roboris firmitas, tam ſalutaria in ſponſam Chriſti legum & doctrinae fluenta dimanarunt. Dicam audacter, quia vere dicam. Niſi haec in Eccleſia Sedes immota perſiſteret Eccleſiam nullam haberemus. Neque enim Eccleſia eſſe poteſt, quae una non ſit, neque una jam foret Unitatis Origine deſtituta. Et miramur tam firmam Romanae Cathedrae in retinenda religione conſtantiam, tam effuſam in Chriſtianorum moderanda Republica auctoritatem! Unitatis origo eſt non potuit ab ea Fide deficere, qua Eccleſiae Unitas conſtat: Unitatis vinculum eſt, nec multum ſane proviſum diceres, ſi quid-

(1) *Cant. 6. 8.* Una eſt columba mea, perfecta mea.
(2) *Pſal. 71. 8.* (3) *Lib. de Unit. Eccl.*

ſi quidpiam roboris deeſſet quo Unitas ipſa firmaretur. Jam tibi in mentem venit, PATER BEATISSIME, non ſolum quae a me commemorata ſunt, ſed longe eſſe plura, quibus haec Sedes, quam tu divinis prope manibus elatus aſcendiſti, in celſiſſimum honoris & auctoritatis locum provecta eſt. Sed haec ornamenta Piſcatoris adeo eximia, adeo praeclara, quid tandem ſunt, niſi propugnacula quaedam, atque praeſidia, quibus munivit Deus & circumſepſit Jeruſalem ſuam, ut una permaneret? Eccleſia ſcilicet corpus Chriſti, & qui Chriſtianorum nomine cenſentur ſunt membra ejus. Quod aſpectabile corpus aſpectabili capite carere non decuit uni commiſit Dominus vices ſuas, ut praeeſſet corpori, & membra caetera in officio contineret. Cavendum quidem ne a capite membra diſtrahantur, in corpore enim eſſe non poterunt. Sed caput reliquis antebatum eſt, ut dum partes ſingulae uni obſequuntur de toto corpore utilitatem percipiant, & corpus quod ex omnibus conſtat unum omnibus eſſe poſſit. Regnum Chriſti Eccleſia illius; & quando in hac hominum imbecillitate nemo erat conſilio, aut viribus tam potens, ut tantis rebus adminiſtrandis ſufficeret, regnum moderatur ipſe, qui inſtituit. Neque enim niſi divina virtute factum eſt, ut Eccleſia Chriſti preſſa bello tam pertinaci, tam late diviſo atque diſperſo, nec diuturnitate labefactari, nec fraudibus capi, nec vi, & armis opprimi poſſet. Manet ſcilicet, ac pugnat nobiſcum Deus quamquam ſe a nobis videri non ſinat; Verum ut Rege latente viva Regis quaedam imago ante oculos noſtros obverſaretur, ut eſſet quem alloqui coram, & monentem audire poſſemus, Servum praefecit, non qui

ſaevi-

ſaeviret tyrannica licentia, qua reges gentium dominantur eorum; Sed qui Unitati proſpiciens, & veluti = in ſpeculis a Deo conſtitutus, ut quidam ajebat e Deceſſoribus tuis (1), & quae coercenda ſunt reſecaret, & quae obſervanda ſanciret = . Quid plura? Eccleſia navis eſt, ovile eſt. Unus in navi gubernator, in ovili paſtor eſt unus. Non itaque gubernacula uſurpet qui cupit praecavere naufragia: non ovis ſibi paſcua deligat, ſi veneni contagionem formidat. Sed ubi caput? ubi diſpenſator fidelis? ubi gubernator & paſtor? Nonne ipſa haec templi hujus auguſtiſſima dignitas, me etiam tacente reſpondet, in loco quem elegit Dominus, in Cathedra, quam Petrus aſcendit in illa tantae poteſtatis conſediſſe amplitudinem, quia in illa concordiae & Unitatis radix jacta eſt? Videant ne proſcripti, videant ne extorres ſint a regno Chriſti, qui Petri procuratione poſthabita Regis auctoritatem contemnunt in eo quem ipſe conſtituit ſuper familiam ſuam. Jura enim, mihi credite, ac dotes illae animi praeclariſſimae, quibus in Sanctorum ſocietate potimur, tam arcte cum Petri ſolio cohaerent, ut qui ab illo receſſerit, caetera vel abdicaſſe penitus, vel in ſui tantummodo perniciem retinuiſſe videatur. Annon & iſta Fides qua Chriſtiani ſumus, aut evaneſcit unitate relicta, aut collapſa jam & exanimis jacet? De Charitate quid dicam? Eſt haec pacis virtus amantiſſima, diſcordiarum turbines & procellas averſatur, perfugit, exhorreſcit. In Eccleſia naſcitur,

(1) S. Coeleſtinus *ep.4. num.1. tom.1. epiſt. RR. PP. ed. Couſt. col.* 1066. Nec ſilere poſſumus quum hoc (*al.* ad hoc) ut ab illicitis revocemus aliquos officii noſtri provocemur inſtinctu, in ſpeculis a Deo conſtituti, ut vigilantiae noſtrae diligentiam comprobantes & quae coërcenda ſunt reſecemus, & quae obſervanda ſunt ſanciamus.

ſcitur, in Eccleſia enutritur, & in Unitatis ſinu quaſi in domeſtica laetitiae, & ſecuritatis ſtatione conquieſcit. Dum ergo Charitatem memorant peregrina nomina usurpant, qui defectionis, & arrogantiae ſocietates conflantes hujus Sedis imminuere majeſtatem, atque adeo ſtatum Eccleſiae convellere moliuntur. Majores noſtri ſinceri illi, & germani Charitatis amatores, ne ab iſta, quam impenſe colebant dilectione deficerent, Unitatem ſervarunt, adhaeſerunt Cathedrae Petri, & aeſtuante ſchiſmatum flamma in hac Sede arcem munitiſſimam incendio, & periculis omnibus imperviam invenerunt. Noverant illi (1) = ſchiſmaticum eſſe, & peccatorem, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret =, nec oportere ut (2) qui Cathedram Petri ſupra quam fundata eſt Eccleſia deſerit in Eccleſia ſe eſſe confidat. Hanc ergo & nos quieti & modeſti unitatis & pacis amatores animo ſuſpicimus, veneramur obſequio & quo poſſumus praeconio vocis extollimus. In hac cum tota Eccleſia conjungimur, in hanc advocamus qui ab Eccleſia olim deſciverunt, ut ſit jam = Sacerdoti plebs adunata, & Paſtori ſuo grex adhaerens (3) =. Atque utinam ſit diſcordiarum finis aliquando, & in una Petri Fide, & Sacerdotis unius obſequio a diutinis de religione diſſentionibus conquieſcamus. Quod ſi humana infirmitas deterret animum, & in tantae felicitatis expectatione ſpem noſtram debilitat, deprecatorem, aſſertoremque pacis te appellabimus Petre. Tu iſtam,

(1) *S. Optat. l. 2.*

(2) *S. Cyprian. ex Pelag. II. in ep. ad Epiſ. Iſtriae olim 1. num. 5. Vide Couſtant. in prima parte Praefat. tom. 1. Ep. RR. PP. num. 3. pag. iv. & ſeq. ubi* genuina eſſe, & ad Cypriani ſententiae integritatem pertinere haec verba oſtendit.

(3) *S. Cyp. ep. 66. ed. Oxon. 69. ed. Maur.* illi ſunt Eccleſia plebs Sacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adhaerens.

iſttam, quae tua eſt Unitatis Originem cuſtodi. Tu diſcordes Chriſtianorum animos compone. Hunc praeſertim in quo adhuc vivis, & praees Unitatis, & concordiae vindicem ſolertiſſimum, ſoſpitem diu praeſta, & incolumem; Te adjutore coeleſtis illa virtus, quam hactenus praeſentiſſimam ſenſit, propria huic maneat atque perpetua: Te vocante diſperſas olim, & luporum excurſionibus diſſipatas oves in Chriſti gregem compulſas, & congregatas aſpiciat, ut quum in tua Cathedra Unitatis Originem, & unum omnes in illa ſedentem Paſtorem agnoverint cum ipſo ſit unum ovile.



D E

CHRISTI DOMINI
REVIVISCENTIS GLORIA
O R A T I O

Habita Decimo Kal. Majas anno MDCCXCIV.

IN SACELLO PONTIFICIO VATICANO

A B

ANGELO MARIA RICCI

PATRITIO ROMANO

COLLEGII NAZARENI CONVICTORE.





R O M AE

EX TYPOGRAPHIA JOANNIS ZEMPEL

SUPERIORUM PERMISSU.

PIO SEXTO

PONTIFICI VERE MAXIMO

ANGELUS MARIA RICCI

FELICITATEM.




Egeneres deterrimosque impietatis fœtus, ſeu verius monſtra quæ a depravato planeque inſaniente certorum hominum ingenio prodierunt difficillimis hiſce temporibus, iſtam imprimis ſupremam atque inconcuſſam veritatis sedem impetere in confeſſo eſt, Teque adeo

ipsum qui divino consilio emines constitutus ejusdem veritatis candori sarto tectoque servando adversus omnem obtrectatorum conatum atque impudentiam. Quanta vero integritate, quantaque constantia hactenus semper expleveris Tibi commissas gravissimi & augustissimi muneris partes, ea jampridem famæ celebritate est pervulgatum, ut populis florentissimis summisque Regibus admirationi fueris, dignusque habitus quem auctorem sequerentur omnes de christiana æque ac civili Republica bene sentientes. Norunt enim insignem Te moderationem ac prudentiam cum invicta animi virtute ita conciliasse; ut nulla vis, nulla etsi effrenata audacia quidquam detraxerit de principatus certissimo jure, Tibique ad tuendum ac disseminandum concreditæ cœlestis doctrinæ sanctitate. Porro cum amplissima mihi fuerit demandata provincia coram Te dicendi de miro jucundissimoque Christi triumpho in immortalem

vitam

vitam restituti; in eo planè mihi visa est humana pariter ratio quodammodo triumphare: quippe quæ jam tum a rerum exordio criminis labe corrupta & in nequissimum quemque errorem per fastum exinde atque insaniam abrepta a redivivo æterni Patris Filio feliciter traducta fuerit ad pristinam incolumitatem ac lucem integerrimæ veritatis. Quod quidem ubi primum aggressus sum oratione perficere, illud mihi ultro occurrit; Te cum verborum pondere ac sententiarum, tum maxime factis eximiis & luculentis ostendisse qua tandem ope ea tot licet jamdudum impiorum hominum machinationibus oppugnata, tot inanis philosophiæ thecnis circumventa posset tamen salva & inviolata consistere: si nempe proposita sibi ad imitandum munificentissimi Instauratoris sui mansuetudine; sublatoque improbæ arrogantiæ æstu, ac profanæ sapientiæ fuco discusso, promptam & docilem divinis fidem adhiberet oracu-

lis. Quid ni igitur Tibi uni devoverem tenuem hunc contentionis ac diligentiæ meæ fructum, quem res me ipsa admonebat, tuam potissimum spectare in christiano grege pascendo moderandoque maturam oppido ac solertissimam disciplinam? Interim vero pro virium mearum imbecillitate animo despondentem ad audendum hortabatur comitas illa & clementia tua singularis, qua neminem ad te accedentem rejcere consueveris, omnibus autem præsto esse ingenii industriæque periculum quoquomodo facere conantibus. Utinam divina Providentia Te nobis & christiano Orbi universo diu sospitem tueatur ac præstet. Ita sane & catholicæ Religioni validissimum præsidium minime defuturum pro certo habeo, & mihi meisque rebus humanissimum beneficentissimumque auspicem & patronum confido.



O R A T I O



Uneſtiſſima ætatum omnium & hujuſce præſertim noſtræ experientia novimus comprobari miſerum illud ac deplorandum effatum: nihil eſſe tam ſanctum quod humana ſæpenumero pravitas non violaverit, nihil tam eximium & ſalutare, quo plerique mortalium impotenti æſtu abrepti inſanientium cupiditatum in ſui aliorumque perniciem non abutantur. Quid enim eis a Deo Optimo Maximo datum eſt ratione præſtantius ac magnificentius; qua quidem non cœteris ſolum etſi ampliſſimis creatis rebus longe antecellant, ſed ipſiuſ-

met ſupremi Conditoris quandam præferre imaginem videantur? Atqui tam præſenti tamque ſingulari divinæ munificentiæ dono plerumque uſi ſunt homines ad improbis motibus liberius obſequendum, ad ſcelera perpetranda impunius, ad ſanctiſſima quæque jura in pejorem partem detorquenda & penitus depravanda; potiſſimum autem ad corrumpendas ac ferme delendas expreſſas Religionis notas omnium mentibus natura inditas & miro pulcherrimoque univerſi Orbis ſpectaculo quotidie ingeſtas atque inſtauratas. Nonne vero huic imprimis incommodo, quod certe ſummum eſt & quaſi caput cœterorum, occurrit ejuſdem rationis Dator mitiſſimus ac liberaliſſimus, cum exquiſitis ſuppliciis & infanda morte perfunctus in vitam eſt revocatus nullo unquam tempore defecturam? Tum enim maxime rationem ægram recreavit, abjectam erexit, in tranſverſum actam & per cœcos errorum anfractus temere aberrantem, niti-

tidissima veluti oblata face, adduxit ad spectatissimæ veritatis callem tuto firmiterque insistendum. Utinam fortissimus idem mortis ac tenebrarum principis Triumphator hanc ipsam ita in me velit ad dicendum regere & confirmare oppido egregiam mentis vim ac facultatem, ut tam gravi & cordato cuique homini tam jucundo valeam argumento parem orationis copiam ac dignitatem adhibere.

Quod humanæ rationi adhuc integræ & plenam in totum hominem potestatem nativo proprioque jure exercenti misero ac fatali extitit offendiculo ad Dei leges contemnendas, improvida scilicet mentis elatio ab insignis & ferme divinæ scientiæ comparandæ spe ac studio profecta (a): illam itidem a recta officii & honestatis norma ad iniquissimum quodque facinus in omne reliquum tempus avocavit; eoque

(a) Gen. c.3. v.4. segg. Vid. S. August. de Gen. ad Lit. L.II. c.30. & de Lib. Arbit. L. III. c. 24.

levitatis impulit atque adeo insaniæ, ut posthabito intemeratæ Religionis candore ineptissima impiæ superstitionis monstra consectari palam non erubesceret. Mihi quidem post immanem aquarum omnem terrarum ambitum populantium illuviem humanum genus diversis jam & inter se disjunctissimis plagis dispersum & propagatum animo reputanti quædam se offert vecors atque efferata mortalium turba hac illac passim belluarum instar errantium, qui cœco rapiantur naturæ impetu, nullo sibi proposito agendi consilio & disciplina (b). Hic immundo quadrupedi aut obscœnæ volucri colendæ exorandæque nuncupari vota & victimas immolari video: illic informi trunco vel lapidi impurum thus adoleri: sacras modo ædes scenicis saltationibus & lascivientibus numeris celebrari: aras modo

(b) V. Discussione accademica e critica delle due potestà spirituale e temporale del Conte Giuseppe Recco. Rom. 1793. pag. 58. segg.

do humano ſanguine redundare (c). Quid improvida furentium fœminarum orgia commemorem, quid incompoſitos Corybanthum motus, quid Saliorum & Lupercorum profanos atque impudentes excurſus (d)? Quid innumeros alios ſacrorum ritus ad futilem ac monſtroſam divinitatis ſpeciem ingerendam prope factos; ad omnem videlicet divinæ naturæ notionem penitus expungendam? Porro cur nam putemus hanc peſtiferam luem humanam mentem invaſiſſe? Unde hæc tam demens tamque conſilii expers de re graviſſima cogitandi judicandique ratio dimanavit? Ab inflicto certe per luctuoſam illam communium humanæ ſobolis parentum defectionem omnium animis acerbiſſimo vulnere, præſertim vero ab immodica planeque effreni de rebus, quæcunque tandem eæ forent, inquirendi atque pro libito decernendi libi-

 dine,

(c) Psal. 105. & Sap. c. 14. v. 23.

(d) V. S. August. de Civit. Dei.

dine, qua homo nihil ſibi eſſe impervium exiſtimaret, nihil quod non ratiocinando aſſequi poſſet atque perſpicere. Ex quo procul dubio factum eſt, ut quidquid mentis ſuæ aciem fugeret & intelligentiæ facultatem ſuperaret, cum eadem pugnare atque adeo nuſquam exiſtere perperam autumarit. Quî porro cogitatione ſatis comprehenderet (c) puriſſimum ſpiritum nullo temporum ſpatio, nulla locorum dimenſione circumſcriptum, qui omnia quæ vellet voluntate ipſa perficeret; hanc autem unam agendi normam & rationem haberet propoſitam, quin aut in cognoſcendo a veritate, aut in deliberando a conſilio, aut in exequendo a præſtantia numeris omnibus abſoluta minimum deflecteret, vel deflectere unquam poſſet: qui præterita æque ac futura cum præſentibus ſimul inſpiceret, quique rerum maximarum itemque pulcher-

(c) 1. Cor. c.2. v.14.

cherrimarum Opifex ſapientiſſimus ſibi idem unus ſufficeret: tum Orbem qua late patet univerſum ejuſque ſingulas partes tueri ac regere nunquam deſinens in ſe tamen apprimè ſecurus placidiſſime conquieſceret? His igitur aliiſque innumeris omnigenæ virtutis atque excellentiæ argumentis, quæ in Deum certiſſime convenirent, aſſequendis impar hominis ingenium eidem cuncta detrahere, multa vero a ſenſuum & materiæ penu deprompta perperam affingere, quæ vel anguſtos creatæ naturæ fines nequaquam præterirent, vel humanam indolem atque imbecillitatem ſaperent, vel ab ipſa naturalis prudentiæ & honeſtatis notione, nedum ab infinitæ præſtantiæ apice prorſus abhorrerent (f).

Refugit animus ea reminiſci vaniſſima juxta atque in omnem impietatem projecta opinionum portenta quæ hac noſtra ætate

(f) V. Lib. Sap. c.13. segg. & Tertull. de Prescript. c.7.

ætate invaluerunt apud nationes etiam celeberrimas omnique artium cultu florentissimas, quæque omnium adhuc oculis obversantur. Quorsum vero hæc tanta tamque subita humanarum divinarumque legum & officiorum perturbatio? Quorsum improvida & luctuosa omnis cum publici tum privati juris inversio? Quorsum vel ipsamet Dei notio mortalium animis altius infixa & communi populorum consensione jam tum a remotissimis sæculis consignata aut vocata in dubium, aut omnino deleta? Quod scilicet certi homines quodam mentis, quo valerent acumine, sibi unice placentes, profanæque doctrinæ opibus præter modum omnem tumidi atque lymphati nihil non rationi tribuendum, eamque habendam quasi pro numine censuerunt (g). Hinc sapientissima quæque veterum placita atque instituta infra pueriles nugas amandare,

(g) Sap. c.17. v.1.

dare, religionis quantumvis integerrimæ ſolidiſſimiſque nixæ fundamentis ritus probatiſſimos levitatis ac ſuperſtitionis arguere: Dei providentiam tanquam moderandæ rerum ſummæ vel imparem vel ſupervacaneam abiicere, Ejus potentiam & majeſtatem imbecillitatis ac metus inane commentum palam jactare: novam prorſus morum diſciplinam, adminiſtrandæque Reipublicæ methodum veluti ex tripode indicere: jus naturæ ac gentium poſt hominum memoriam inauditum invehere, omne videlicet ſocietatis vinculum, & Religionis frænum diſſolvere, ſacra omnia & profana invertere ac permiſcere (h). O maximam deterrimamque temporum iniquitatem ac labem! O miſerrimam humanæ rationis conditionem, quæ dum ſibi plus æquo indulget, & ultra fines licentius graſſatur ei providentiſſime conſtitutos, in meri-

(h) V. la citata Discuss. accademica e critica delle due podestà spirit. e temp. pag. 396. segg.

meridiana etiam luce passim offendit, & umbram pro corpore, pro veritate mendacium, pro rebus somnia persequitur ineptissime. (i)

Verum immortales bonorum omnium Largitori gratiæ habeantur, qui acerbissimæ istiusmodi calamitati, si quando alias, opem tulit præsentissimam, cum de subacta morte, ac inferorum tyranno triumphum egit pulcherrimum oppido atque admirandum. Per eum siquidem homines apertissimis una firmissimisque argumentis convicit suos rationi esse limites præfinitos, intra quos nisi sese apprime continuerit, in præceps agi ac fœdissime ipsam dilabi necesse est: res creatas a divinis eo usque distare, ut nihil utrisque commune vel simile aut existere aut confingi ullo modo possit: nullum propterea mortalibus patere aditum ad hasce investigandas aut quo-

quo-

(i) Sap. c. 13. v. 1.

quomodo cognoſcendas: ubi de his ſermo ſit (quod ſummi etiam acutiſſimique Philoſophorum (k) optime norunt & inculcarunt) nihil illis reliquum eſſe, niſi ut ea firmiter teneant de certa eorum ratione intimaque natura vel minimum inquirentes (l).

Et quidem quis tandem perſuasum haberet, Deum cum homine arctiſſime ſociatum corpus infirmum & corruptioni natura ipſa obnoxium induere, atque adeo omnes vitæ ærumnas ac viciſſitudines mortemque demum obire poſſe turpiſſimam atq: atrociſſimam? Quid ab omni creatæ mentis captu magis alienum, quam ipsum juſtitiæ Fontem ſupremumque cœli ac terrarum Moderatorem atque Arbitrum improbum vulgo traduci: non unius flagitii apud profanos judices inſimulari: capitali ſententia damnari, extremo ſupplicio cum men-

(k) V Leibnit. ragionam. sulla conformità della fede coll' umana ragione.

(l) 2. Cor. c.10. v.5.

iniquiſſimis graſſatoribus impune affici? (m) Quid tum, ſi hæc eadem & non pauca hujus generis alia cum iis conferantur, quæ geſta sunt poſtquam Chriſtus a ſomno mortis eſt feliciſſime revocatus? Cum is quidem poſſet & videri & tangi & contrectari, morbo aut dolore laborare, vi & injuria violari, hebeſcere aut corrumpi nequaquam poſſet: cum membra ejus partibus ut antea ex materia concretis coaleſcerent, neque tamen certo accomodari cogerentur loco, neque ullo uſquam obſtaculo continerentur. Prodeat nunc humana ratio, & hæc tam invicem diſſona tamque diſcreta ſubtilius argutando componat. Quod ſi noverit in eo fruſtra ſe niti, pudeat ipsam aliquando apertiſſimæ veritati pervicaciter refragari, ejuſque penitus contemplandæ percipiendæque ſibi deeſſe facultatem ultro

fateri

(m) 1. Cor. c. 1. v. 23.

faterì non vereatur. Chriſti potius diſcipulos ſequi duces auctoresque glorietur, qui cum primum Magiſtrum ſuum in novam rediiſſe vitam a piis mulieribus acceperunt; omnem repente, ſi quam conceperant animo super divinis ejus oraculis, dubitationem abjecere. Cum Thoma saltem ambigere mature deſinat Deum ipſum ac Dominum vix dum oculis oblatum exclamantem; & arcana per eum traditæ Religionis dogmata tot jam tamque luculentis teſtimoniis clarius comprobata, quam ſi forent ad inſpectandum propoſita, rata habere & coram prædicare aggrediatur. Huc profecto inprimis spectavit divini Reparatoris gloria inaudito prorſus miroque modo reviviscentis. Hoc præ cæteris efficaciſſimo uſi sunt argumento Apoſtoli ad denſas ubique locorum improbi & obfirmati erroris tenebras diſſipandas: hoc freti superbientem philoſophiam lateque animis dominan-

tem

tem victas dare manus coegerunt (n).

Quid, si redivivus æterni Patris Unigenitus validissima quæque mortalibus subsidia comparaverit ad catholicam veritatem ultro amplexandam ac firmissime retinendam? Illud jam unum meminisse sufficiat insigni ejus admirandoque triumpho acceptum referri oportere cœlestis ignis donum eximium & saluberrimum, per quem charitas Dei diffusa est in cordibus nostris (o), charitas inquam illa cujus est, S. Paulo confirmante, nullo ambitionis unquam motu efferri, nullo fastu aut arrogantia intumescere (p), mansuetudinem ac docilitatem profiteri, de se suisque demisse rebus sentire: quæ Deo loquente didicerit, eis promptam firmamque fidem habere (q), atque ita ædificare & committere quidquid profana scientia labe-

(n) V. Act. Apost.
(o) Rom. c. 5. v. 5.
(p) 1. Cor. c. 13. v. 4. & 5.
(q) Ibid. & v. 7.

labefactatum fuerit atque disjectum (r). Hac plane flamma nitidissima coruscante, id rite intelligimus, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (s): sapientiam nempe Dei callemus in mysterio quæ est abscondita, (t) eam vero quæ stultitia est apud Deum (u) exuimus atque despicimus: fidem proinde illam sequimur ducem quæ non in sapientia hominum sed in virtute Dei sita est (x); non in fallaci pondere sententiarum & in vacua magniloquæ orationis copia, sed in ostensione spiritus & virtutis (y).

Utinam inter innumeras & quotidianas, quibus mortalis vita scatet, salebras & offendicula hanc unam constantissime persequantur quicumque christianæ militiæ nomen dederint. Utinam quotquot ab eadem

(r) 1. Cor. 8. v.1.
(s) 1. Cor. v.9.
(t) Ibid. v. 7.
(u) Ibid. c.3. v.19.
(x) Ibid. c.2. v.5.
(y) Ibid. c.2. v.4.

dem per inſolentem diſputandi cogitandique licentiam fœde ac miſerabiliter defecerunt, in hanc oculos atque animum maturent intendere; ut ſuis contenta finibus humana ratio in alienos minime audeat invadere ad perniciem & dedecus ſempiternum; puriſſimamque intaminatæ veritatis facem, quam redivivus Dei Filius extulit jacentibus in funeſta mortis caligine, fidiſſimam ſemper rerum ſuarum moderatricem & normam habere contendat.





IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. X. Paſſari Viceſgerens.



IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Vincentius Pani Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.